

bitum cum laude fructuque emetiendum. In quibus
sacris initiisque tradendis si omnes ita versarentur, vt ex
illis, quos dixi, fontibus genuinas caussas tum singularum
sanctionum, tum vniuersae legislationis, ab hoc vel illo
principe factae, paullo altius repeterent, eamque legum
philosophiam cum moribus nostris institutisque compara-
rent atque contendenterent: tum illud, nescio quid, prae-
clarum ac singulare existeret, et iuuenes, hoc tramite ad
penetralia iurisprudentiae deducti, vberrimos inde fru-
ctus, etiam in vita ciuili, et inter media fori murmura,
caperent, et academicae institutionis, tam frugiferae ac
salutaris, doctrinaeque vere aetatis ineunte collectae, cum
suauiissimo voluptatis sensu, viri senesque, semper re-
cordarentur. Sed non omnibus, qui in academiis do-
cendi munere funguntur, promiscue haec sacra patent:

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

Plura de his aliisque caussis intereuntis iurispruden-
tiae humanioris dicere possemus, Auditores, si et tem-
pus, et locus paterentur. Ceterum quae dixi, non cu-
iusquam vel leuiter offendendi, nedum maligne rodendi
et vellicandi caussa, sed optimo in iurisprudentiam libera-
lem, cuius, ad manuariae artis quaestusque illiberalis for-
des fere depressae, corruptelis indoleo, animo dixi: ea
vero huc pertinent vniuersa, vt erectae indolis iuuenes,
qui ad hanc litterarum vniuersitatem, tamquam merca-
tum